

presbyteris majores esse *consuetudine magis, quam dispositionis dominicæ veritate*. Neque enim vult sic esse majores quoad gradum, dignitatem et characterem sacramenti, sed exterius duntaxat, quod presbyteri non amplius æque vocarentur a præsulibus in partem sollicitudinis ut ante, illam quippe in gubernanda Ecclesia curarum consiliorumque communione, quam S. Hieronymus ait initio servatam fuisse, explicat præstantissimus Doctor verbis illa in objectione allata proxime consequentibus: *imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret*. At Moyses utique jure divino illis erat superior.

105. *Inst.* 3. Idem epist. 85. (al. 146.) ad Evagrium seu Evangelum scribit, diaconum se presbyteris anteponeere idem esse, ac se anteponeere Episcopis; ergo, Pergit in ead. epist. *Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori loco collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent*. Atqui hic S. Doctor affirmat a solis presbyteris factum esse Episcopum. Ergo juxta Hieronymum jure divino nihil differt a presbyteris Episcopus.

R. D. *Ant.* Idem esse ac se anteponeere iis, qui caractere sint Episcopi N. iis se anteponeere, qui cura, administratione et nomine solum sint Episcopi C. Quod autem dicit, presbyteros unum ex se electum in excelsiori gradu posuisse atque Episcopum nominasse, intellige, a solis presbyteris Episcopum esse electum, non item consecratum. Nam S. Hieronymus continuo subdit: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Quod accipias de officiis ecclesiasticis baptizandi et Eucharistiam conficiendi: nam quod potestatem confirmandi non exceperit, ideo factum, quia respexit ad consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua presbyteri ex speciali commissione chrismabant.

Cæterum usque ad tempora ab Hieronymo notata peculiare hoc habebat Ecclesia Alexandrina, quod soli presbyteri jure suffragii gauderent, quod ex suo tantum collegio Episcopum eligerent, teste Eutychio Alexandrino, atque illico a morte Episcopi, *ne aliis hunc, aliis illum postulantis in populo jurgia et contentiones existerent*, ut habet Epiphanius hæc. 49. Porro electus iste quamprimum a presbyteris in sede sublimiori collocabatur, et ante consecrationem ab Episcopis aliis acceptam vocabatur Episcopus, atque post dies aliquot jurisdictione et auctoritate plene fruebatur. Addit Eutychius presbyteros manus electo etiam imposuisse, in speciem scilicet anticipatæ cujusdam consecrationis. Quæ quidem postea fuere mutata: nam S. Athanasius diaconus erat, cum eligebatur in Episcopum; ubi procul dubio clerus reliquus et plebs ipsa ad eligendum Episcopum admittebatur, more aliarum Ecclesiarum, in quibus vicini quoque Episcopi suffragii jure potiebantur.

Neque obstat illud, quod Hieronymus dixerat, Episcopum Alexandrinum a presbyteris ita factum esse, ut fiebat imperator ab exercitu, et archidiaconus a diaconis: hoc enim S. Doctor intellexit solum quoad rationem electionis, nequaquam autem secundum rationem omnimodam, ut sic electi Episcopi consecrationem excluderet.

Atque hæc paulo prolixius versavi, ut retunderetur procacitas hæreticorum, qui pugnaciter contendunt Hieronymum hac in parte totum esse suum, atque ut castigaretur Michaelis Medinæ audacia, qui asserere non dubitavit L. 1. de sacerorum hominum origine et continentia cap. 5. Doctorem maximum Aerii hæresi aperte favisse: cujus scholastici judicium *falsissimum et homine catholico indignum* jure appellat L. 2. de Hierarchia Eccles. 8. DIONYSIUS PETAVIUS.

ARTICULUS VIII.

DE SACRARUM ORDINATIONUM MATERIA ET FORMA.

106. *Nota I.* Ut iis, quæ hic disputari solent, lux plenior accedat, prænotandi sunt sacri ritus, quibus ordinationes, præsertim majores, in quibus est plus controversiæ, peraguntur. Igitur

1º. Ordinatio episcopalis in Ecclesia latina, juxta ordinem Pontificalis Romani, his ritibus absolvitur: 1. Episcopus consecrans, adjovantibus duobus Episcopis assistentibus, librum Evangeliorum apertum, nihil pronuncians imponit super consecrandi cervicem et scapulas. 2. Tangunt ejusdem caput imponendo ambas manus consecrator et assistentes Episcopi cum verbis: *Accipe Spiritum sanctum*. 3. Orationem pro eo fundit consecrator: *Propitiare Domine, etc.* 4. Caput ejusdem inungit chrismate dicens: *Ungetur, et consecretur caput tuum, etc.* tum ambas manus inungens dicit: *Ungetur manus istæ, etc.* 5. Tradit consecrato baculum pastorem: deinde annulum, tum librum Evangeliorum clausum, correspondentibus ubique verbis: *Accipe baculum pastoralis officii, etc. Accipe annulum, etc. Accipe Evangelium, et vade; prædica, etc.* 6. Finita missa, consecrati capiti mitram imponit, et chirothecas manibus, dicendo: *Imponimus, Domine, capiti, etc. circumda Domine manus, etc.*

In Ecclesia græca 1. dum consecrandus fronte sacræ aræ incumbit, consecrator hæc verba profert, prius scripta consecrando tradita: ... *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilissimum presbyterum in Episcopum civitatis N. Oremus igitur, etc.* 2. His peractis imposita manu una cum pallio super consecrandi caput, adjovantibus Episcopis capiti ejus Evangeliorum librum apertum imponit; tum ter caput cruce signans, et manum ei impositam tenens precat: *Domine Deus, etc.* Ita referunt Goar in Rituali Græcor., Arcud. L. 6. Concord. de Sac. Ord. cap. 2.

2º. Ordinatio presbyteri apud Latinos hoc ritu celebratur: 1. Ante Evangelium missæ Episcopus et sacerdotes adstantes, nihil dicendo, ordinandi capiti (si plures sint, singulorum capitibus) imponunt manus. 2. Eo facto manus dexteris super eum extensas tenent, orante solo Episcopo: *Oremus, fratres charissimi, etc.* 3. Ordinando imponit stolam et casulam; tum manus ungit oleo catechumenorum. 4. Tradit ordinando calicem cum vino et aqua, et patenam cum hostia superpositam dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* 5. Peragitur sacrificium missæ, in quo ordinatus cum Episcopo verba consecrationis pronunciat. 6. Post communionem Episcopus solus illi manus

imponit cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* Apud Græcos 1. Episcopus imponit manus ordinando. 2. More solito dicit : *Divina gratia, quæ semper infirma curat... promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus igitur, etc.* 3. Ordinatam ter signat orando, tum casula induit. 4. Eidem porrigit panem sanctum, quem esse particulam Eucharistiæ consecratæ observat Goar : sed nulla tradit instrumenta, nimirum nec calicem cum vino et aqua, nec patenam cum hostia juxta Goar et Arcud. cit.

3^o. Ordinatio diaconi et subdiaconi inter Latinos fit : 1. Solus Episcopus ordinando in diaconum manum imponit cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine, etc.* 2. Stulam illi imponit super humerum sinistrum, eumque dalmatica induit. 3. Tradit illi librum Evangeliorum tangendum manu dextera cum verbis : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine, etc.* Cum subdiaconi ordinantur 1. Episcopus singulis calicem vacuum cum patena vacua porrigit dicens : *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur, etc.* 2. Archidiaconus ipsis urecolos cum vino et aqua offert, etc. 3. Episcopus porrigit manipulum et tunicam cum verbis præscriptis. 4. Tradit librum Epistolarum cum verbis : *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* Græci ordinationem diaconi præter quosdam ritus accidentales sola impositione manuum, sine alia instrumentorum traditione absolvunt, dicendo : *Divina gratia... promovet N. subdiaconum in diaconum. Oremus igitur, etc.* similiter sola impositione manuum subdiaconatum conferunt, ut liquet ex eorum Euchologiis.

Quæstio nunc est, neque levis controversia, quænam ex enarratis ceremoniis et ritibus sint tum materia tum forma essentialis, hoc est, necessaria necessitate sacramenti ordinis? Pro quo

107. *Nota II.* In tres præcipue sententias hic abierunt Scholastici. *Prima* universaliter pro materia solam manuum impositionem assignat; pro forma sola ea verba, quæ illi respondent; porrectionem vero instrumentorum vel inter ritus mere accidentarios numerat; vel esse solum materiam integram, ut Witasse, Juenin, Habert, Tournely, et alii; vel ea solum ratione vult pertinere ad materiam, quatenus dici possit instrumentorum porrectionem implicite ac virtute contineri in impositione manuum, cum manus sit organum organorum, et instrumentum instrumentorum, ut loquitur D. Bonavent. in 4. dist. 24. q. 4. a. 1., et docet Morin. hic p. 3. Exercit. 1. c. 1., Menard. in notis ad Libr. Sacrament. S. Gregor. Papæ., Becan. et cæteri. *Secunda* contra, solam porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem asserit et formam ea verba, quæ tunc proferuntur; manuum vero impositionem vel inter ritus mere ecclesiasticos refert, vel ait contineri in traditione instrumentorum, ut Paludan. q. 2. a. 3., Valentia Disp. 49. hic q. 1. punct. 5., Estius in 4. dist. 24. §. 24. *Tertia* inter duas priores media vult materiam essentialem tam in manuum impositione, quam in porrectione instrumentorum consistere, per consequens formam in iis verbis, quæ utrique correspondent. Ita sentit Bellarm. L. 1. de sacram. Ord. c. 9., Vasquez cæterique communius, et videtur esse genuina mens

Doctoris Angelici, tum Opusc. 5. et hic q. 37. a. 5. dicentis: *quia principalis actus sacerdotii est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotis imprimitur*: tum 3. p. q. 84. a. 4. in 0. ubi rationem reddit, quare in sacramento Baptismi et Pœnitentiæ non requiratur impositio manuum, requiratur autem in sacramento Confirmationis et Ordinis: *quia impositio manuum fit in sacramentis Ecclesiæ ad significandum copiosum gratiæ effectum.* Cum hac

108. *Dico I.* Materia essentialis ordinationis Episcopi est 1^o. impositio libri Evangeliorum, et 2^o. impositio manuum; adeoque duplex partialis unam totalem constituens: forma vero utrique respondens adequata est hæc: *Accipe spiritum sanctum.*

Prob. 1^a. p. de impositione libri Evangeliorum. Hæc enim fuit concors et perpetua omnium Ecclesiarum consuetudo, unde merito colligitur ritum impositionis libri Evangeliorum habitum fuisse pro vera materia, cum præsertim Ecclesia græca cum latina in ritibus mere accidentariis vix unquam omnino conveniat. Et hæc ratio non potest non valere saltem apud recentiores quosdam adversarios, qui a materia essentiali ideo potissimum cujusvis instrumenti traditionem alias excludunt, eo quod vel in Ecclesia græca in usu non sit, vel in latina serius cœperit ahiberi. *Prob.* Illa consuetudo perpetua ex Scriptoribus antiquissimis et primi Ecclesiæ temporis, CLEMENTE Romano (aut quisecumque auctor dicatur Constitutionum Apostolicarum, certe ad prima tempora referri debet) L. 8. c. 4. (Labb. t. 1. p. 459. A.) ubi: *Unus ex primis Episcopis una cum duobus aliis stans prope altare, reliquis Episcopis et presbyteris tacite precationem facientibus, et diaconis aperta Evangelia super caput ejus qui ordinatur tenentibus, in hunc modum precatur, etc.* S. DIONYS. AREOP. L. de Eccl. Hier. c. 5. (opp. t. 1. p. 236. D. ed. Corderii.) *Pontifex, qui ad consecrationem in Pontificem adducitur... supra caput habet Evangelia a Deo tradita, manumque Pontificis.* Concilio Carthag. IV. ann. 398. quod can. 2. (Labb. t. 2. p. 1199. D.) dicit: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, et teneant Evangeliorum codicem super caput ejus.* Ex Ritualibus antiquissimis tam græcis, quam latinis, de quibus testatur Morin. Exercit. 2. cap. 1. quæ mira consensione hunc ritum tenendum præcipiunt.

Conf. I. Quia huic ritui inest vis practice significativa, 1^o. quia conjungitur cum forma, qua traditur Spiritus sanctus. 2^o. Hoc innuit S. CHRYSOST. homil. de Legislatore (opp. t. 6. p. 410. B.) ritus hujus rationem reddens: *Idcirco in Ecclesia, cum ordinantur sacerdotes* (Episcopos intelligit, ut patet ex sequentibus) *Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is, qui ordinatur, veram se recipere Evangelii tiaram, scilicet signum sumendo pro re, hoc est, tiaram pro speciali illa potestate, quæ confertur, vel character episcopali, 1. quia ait: Evangelii tiaram; 2. quia hæc tiara non potest significare mitram pontificiam, quæ completa ordinatione apud Latinos reipsa imponitur; restat igitur, ut sit signum potestatis, Episcopis propriæ. Unde sic argumentor: Juxta S. CHRYS. impositio libri Evangeliorum est signum potestatis, quæ solis Episcopis, dum ordinantur, confertur; ergo hujus est signum practicum; quod enim in sacramentis significat sacramenti effectum, hunc practice significat.*

Conf. II. Hæc sententia accedit propius ad mentem Concilii Florent, quod in Decreto generaliter ait, materiam sacramenti ordinis esse illud, per cuius traditionem confertur; quæ propositio, cum sit indefinita in materia dogmatica, ac proinde universali æquivalens, supponit in cujusvis collatione ordinis aliquid tradi, quod sit materia; si autem excludatur impositio libri Evangeliorum, nihil poterit hic assignari, quod tradi dici possit; cum ritus cæteri, in quibus varia traduntur, non possint, præsertim juxta adversarios, pertinere ad materiam, utpote qui, ut dicitur, ordinationem episcopalem jam completam potius supponunt. Frustra etiam dicitur, per materiam hic intelligi a Florentino accidentalem, vel integram; verba enim Concilii debent sumi in sensu proprio; ac proinde per materiam intelligi vere et proprie talis, qualis est essentialis, quamdiu urgens causa non adest, quæ cogat sumere improprie, qualis hic nulla est. Unde et

Conf. III. Quia nulla est solida ratio impositionem libri Evangeliorum removendi ab ordinationis episcopalis materia contra communioem Doctorum sententiam, ut patebit solutione argumentorum.

Prob. 2^a. p. de impositione manuum. Hac usi sunt Apostoli, dum ordinarunt Episcopos, ut 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et 2. ad eumd. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum:* at vero quis dicet Paulum in ordinatione Timothei in Episcopum, qualem ab illo simul ordinatum fuisse convenit inter Doctores Catholicos, non nisi materiam accidentalem, vel integram adhibuisse?

Conf. I. Hanc omnibus seculis adhibuit utraque Ecclesia, latina et græca, quæ ultima quidem ordinationem antonomastice vocat, *χειροτονίαν*, impositionem manuum.

Conf. II. De hac loquitur Concilium Carthag. IV. supr. citatum, quod can. 2. post impositionem libri Evangeliorum vult, ut uno (Episcopo) super eum (qui ordinatur Pontifex) fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Hanc omnes Patres et Pontifices, qui usque ad VIII. seculum scripserunt, pro Episcopis ordinandis usurpandam esse declarant, et supponunt, S. DIONYS. Areopag. supra cit., S. AUGUSTIN. in Concione de gestis cum Emerito: *Invocatio, inquit, nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi.* DAMASUS epist. 5. (Lab. t. 2. p. 880. C.) contra Chorepiscopos ordinare præsumentes: *cum Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant, et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant.* Similia habet INNOCENT. 1. epist. 22. ad episcopos Macedoniæ (Lab. t. 2. p. 1274. A.). Illis etiam adde S. THOMAM relatum supra Not. II. Supersedeo cæteris in re manifesta.

Conf. III. et maxime: Illud est materia essentialis, quod est signum practicum gratiæ: atqui tale signum est hæc impositio; ergo. *Maj.* constat ex definitione sacramenti. *Min.* ex epistolis Pauli ad Tim. supra cit. et quia hæc impositio conjungitur formæ, qua traditur Spiritus sanctus: *Accipe, etc.* Plura argumenta vide concl. sequenti.

Prob. 3^a. p. de forma. 1^o. Hæc sequitur ex dictis; universaliter enim in iis verbis statuenda est forma essentialis, quæ materiæ essentiali, quam forma determinare debet ad esse sacramenti, conjunguntur; sed hoc fit in verbis

illis: *Accipe Spiritum sanctum.* 2^o. Trid. Sess. 23. can. 4. definit, sine ullius exceptione ordinis: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: accipe Spiritum sanctum, etc. anathema sit.* Ergo hæc verba: *accipe Spiritum sanctum*, prolata ab Episcopo consecrante, vere conferunt Spiritum sanctum, sive gratiam; alias enim dicerentur frustra; ergo forma essentialis sunt; quia hæc sola forma essentialis, non alia potest producere gratiam. Responsionem adversariorum ad hoc argumentum præoccupatam vide concl. seq. Porro verba illa: *accipe Spiritum sanctum*, sunt forma adæquata ordinationis Episcopi, quia sola illa materia, cui conjunguntur, essentialis est, ut nunc dicam; ergo sola illa verba possunt esse forma, et proinde sunt adæquata: nam

Oppositum omnino censendum est de traditione baculi et annuli Episcopalis, nec non de capitis et manuum unctione, aliorumque, quæ supra Not. I. recensentur. Cum enim hæc omnia traduntur, jam episcopalis ordinationis essentialiter peracta est; nec nisi ad potestatem acceptam magis explicandam conferuntur: liber enim Evangeliorum secundo ipsi traditur, ut sit signum potestatis acceptæ prædicandi Evangelium, et reliquis illam communicandi; baculus episcopalis, ut ejus non tam jurisdictio quam modus jubendi, corrigendi, excommunicandi indicetur; annulus in symbolum conjugii spiritualis, quod cum sua Ecclesia contraxit; inungitur caput solum propter dignitatem et principatum, quem accepit super alios in Ecclesia; manus vero propter ministerium et officium benedicendi; quæ omnia sunt ferme eadem verba, quæ habet Innoc. III. de sacra unctione c. 4. Et constant hæc ex verbis, quibus quodlibet dictorum fit et traditur; ut dum caput inungitur, ait consecrans: *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti benedictione in Ordine Pontificali:* dum manus: *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, sicut unxit Samuel David... ita... in nomine Patris, etc.* Dum baculus traditur: *Accipe baculum Pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie serviens, etc.* Dum annulus: *Accipe annulum, fidei signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam intemerata fide illibatam custodias, etc.* Ubi nunquam dicitur: *Accipe potestatem;* nimium, quia hæc jam data est.

109. *Dico II.* Materia necessaria necessitate sacramenti in ordinatione presbyteri apud Latinos est duplex partialis unam totalem constituens; et similiter duplex forma: 1^o. Instrumentorum, scilicet calicis cum vino, et patenæ cum hostia sive pane porrectio cum verbis sive forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Patris, etc.* 2^o. Impositio manus secunda, sive ultima, quæ fit a solo Episcopo cum forma: *Accipe Spiritum sanctum.*

Prop. 1^a. p. Ex Florentino quod in Decr. §. *sextum* ait: *Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem.* Et infra: *forma sacerdotii talis est: accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* Est autem omnino absurdum dicere, Concilium cum de sacramentis ex professo ageret, hic solum loqui de materia et forma accidentali, vel integrali, cum sic in nullo loco meminisset materiæ et formæ essentialis et necessariæ, quam tamen pro quolibet alio sacramento assignat.

Respondet 1º. Witasse cum quibusdam Theologis præsertim Gallis : Hoc Decretum non esse factum ipso approbante Concilio, sed postquam jam Græci discesserant, ab EUGENIO IV. Papa, non ut definiente, sed solum ut opinionem suam proferente. Verum hæc responsio aperte falsa est, et sustineri non potest; nam quæ in Florentino Conc. post Græcorum discessionem acta sunt, saltem quantum ad Armenorum unionem, peracta sunt ipsis ante discessum consentientibus Græcis, adeoque cum totius consensu Concilii; hoc ex ipso Decreto constat, in quo sic habetur : *Sacro approbante Concilio, et ipsis etiam Oratoribus consentientibus data Armenis instructio quedam sub compendio orthodoxæ fidei. et in fine Decreti : Datum Florentiæ in publica sessione synodali, solemniter in Ecclesia majori celebrata.* Unde et CLEMENS VIII. Decretum hoc ipsi tribuit Concilio, dum Græcos et ipse instruit de sacramento Pœnitentiæ dicens : *Utantur forma absolutionis in generali Concilio (loquitur de Florentino) præscripta, scilicet in hoc Decreto, in quo solo hæc forma reperitur.*

Respondent alii 2º. In hoc Decreto præscribi solum porrectionem instrumentorum, tanquam materiam accessoriam et integram, quia non erat necesse instruere Armenos de impositione manuum, cum hæc apud illos in usu esset. Sed etiam hæc responsio admitti non potest, estque merum effugium, nullo nixum fundamento; nam licet dici posset, ideo Concilium nihil dixisse de impositione manuum, non tamen propterea sequitur, quod, cum exprimat porrectionem instrumentorum, per hanc intelligat materiam pure accessoriam; sed contrarium inferri debet : quia *materia, forma simpliciter et absolute prolata significant materiam vere et stricte talem, nimirum essentialem, non qualemcumque et accessoriam; sic dum Concilium ait de sacramentis reliquis, ut Baptismo, materia est aqua : Confirmatione, materia est chrisma, etc. nemo non intelligit materiam essentialem, quæ simpliciter dici solet; ergo etiam talis hic intelligi debet; dum eodem modo, sine ulla verborum limitatione dicit de sacramento Ordinis : Cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur, sicut presbyteratus, etc.*

Conf. Inter omnes Latinos ritus nullus magis significat principalem effectum sacerdotii, qui est potestas in corpus Christi naturale, quam illa porrectio cum forma : *Accipe potestatem offerendi, etc.*

Prob. 2ª. p. de impositione manuum. 1. Ex Scriptura, quæ hanc ordinationem exprimit nomine impositionis manuum, ut 1. Tim. 5. *manus cito nemini imposueris.* Quin Scriptura S. quandocumque ordinationem refert, dicit factam per impositionem manuum : sic Timotheus ordinatus fuit a Paulo presbyter simul et Episcopus loc. cit. sic Paulus et Barnabas Act. 13. v. 3. sic primi septem Diaconi Act. 6. v. 6. Et Act. 14. v. 22. dum legitur : *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros; græce habetur : cum per singulas Ecclesias presbyteros illis manuum impositione constituissent.* Quæ certe ita admittenda sunt, ut, si dicamus impositionem manuum non esse de essentia trium majorum ordinum, Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus, sed esse ritum Ecclesiasticum, non possimus contra hæreticos efficaciter probare ex Scriptura, ordinationem esse sacramentum, cum ex Scriptura nullum aliud signum externum et sensibile possit haberi : et pari ratione dici poterit, etiam aquam in Baptismo, et vinum in Eucharistia non esse de essentia. *Conf.* Juxta Scripturam per manuum impositionem in or-

dinatione collata fuit gratia, ut constat ex epist. Pauli ad Tim. cit.; nulli autem ritui ecclesiastico gratia promissa est.

Prob. II. Ex Conciliis, in quibus referendis ne nimium prolixi simus, omissis Nicæno I. generali can. 9., Antioch. can. 10. et 17., Carthag. IV. can. 2. 3. et 4. clarissime loquitur Meldense can. 44. (Labb. t. 7. p. 1834. A.) præcipiens Chorepiscopis : *Ecclesiasticos ordines, qui per impositionem manuum tribuuntur... agere non præsumant.* Moguntin. cap. 35. (ibid. t. 14. p. 679. E.) *In collatione ordinum, quæ cum impositione manuum veluti visibili signo traditur.* Maxime Trident. quod Sess. 14. cap. 3. de ministerio Extremæ Uctionis ait : *Ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros. Quo nomine eo loco, non etate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis recte ordinati per impositionem manuum presbyterii.* Et Sess. 23. cap. 3. probans, ordinem esse sacramentum, profert textum Apostoli 2. Tim. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

Prob. III. Ex summis Pontif. et Patribus, inter quos S. LEO epist. 1. alias 87. ad episcopos Africanos explicat illud Pauli : *Manus cito nemini imposueris; dicens : quid est manus cito nemini imponere, nisi sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* GREGOR. M. in fine Registri Decreto 5. (opp. t. 3. p. 1890. B.) *quia ordinando Episcopo Pontifex manum imponit; sicut Pontificem manum non decet, quam imponit, vendere, ita Ministrum, etc.* AMBROSIVS L. de dignitate Sacerdotali cap. 5. (opp. t. 2. part. 2. in app. p. 363. D.) *Homo, ait, imponit manus, Deus largitur gratiam.* Denique AUGUSTINUS in concione de gestis cum Emerito docet, manus impositione sacerdotes ordinari, et L. 5. de Baptismo contra Donatist. c. 20. probat a Deo exaudiri homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur. Ex quibus singulis manifestum fit, manus impositionem esse de essentia. Dicere enim, ut recte adnotat BELLARMINUS, Concilia, Pontifices, et Patres loqui de ceremonia accidentaria, ridiculum est; cum sic sæpe ex professo tractantes de ritu ordinationis, nunquam id, quod ad essentiam spectat, attigissent, quod dicendum non est.

Prob. 3ª. p. de forma. 1º. In genere; quia hæc : *accipe potestatem offerendi, etc. accipe Spiritum sanctum,* ex dictis conjunguntur materiæ, et proferuntur cum illa applicatur; ergo sicut in aliis sacramentis illud est forma, quod profertur a ministro, dum applicatur materia, ita etiam hic. 2º. In specie de prima : quia Florentin. cit. simpliciter ait : *forma sacerdotii est : accipe potestatem, etc.* Deinde post tradita instrumenta cum hac forma continuo, qui antea dicebantur ordinandi, vocantur ordinati, et in signum acceptæ potestatis jubentur neo-ordinati simul cum Episcopo proferre verba consecrationis, quod certe non permetteretur, nisi jam accepissent potestatem in corpus Christi naturale, sive consecrandi. 3º. De altera; quia hæc : *accipe Spiritum sanctum,* manifeste significant conferri gratiam sacramentalem, et, ut innuunt verba sequentia : *quorum remisit, etc. conferri characterem presbyteri ut iudicis.* Unde Trid. Sess. 23. can. 4. anathema dicit ei, qui dicit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopus dicere : *accipe Spiritum sanctum.*